

ram Lib. 3. Cap. 2. num. 82. P. Molina Disp. 112. vers. Atque hinc Cardinalem Lugo Disputat. 25. num. 124. vers. Vltimo. P. Filiucium Tract. 34. num. 60. Caramuelem numer. 735. unde negari nequit, quin hoc sit valde probabile. Contrarium autem vt probabile in Assertionem propono, sicut & visum P. Filiucio, quia magis videtur favorabile in ordine ad praxim: mutuans enim nihil perdit, & mutuarius graui se onere ex parte liberat; & in presenti causa magis videtur fauendum mutuarius, quia magis egent, vnde & eorum angustia subleuanda. Præterquam quod ratio pro sententia ista magis videtur vrgere.

Assertio 2. Non satis facere solentem infamata pecunia mutuo acceptum.

136 Dico secundo. Qui mutuum accipit pecuniam, non videtur satisfacere, si eam soluat quando iam est destinata mutationi, in qua minoris valoris est futura, nisi mutuans eam possit expendere nihil de presenti valore perditurus. Ratio est: quia nullus hoc pacto mutuum dat, talem ex mutuo iacturam facturum, esset enim hoc mutationem, quæ opportunum est indigentium remedium, valde odiosam reddere, & ita minus vitatam, ex quo gratia incommoda in comitatu humano sequerentur. Hoc videtur esse clarissimum.

Assertio 3. Secus esse in debitis alio titulo.

137 Dico tertio. Quando pecunia est mutationi dicta proxima, satisfacit qui debet aliquid ob alios titulos, nisi nomine alterius agat secundum explicationem statim exhibendam. Pro hoc stat communis vsus, de quo oculatus testis Caramuel, vt ipse testatur num. 728. quando tempore Philippi Tertij in Hispania cuprea moneta mutata est; huius enim mutationis rumore sparso certis coniecturis, magna sollicitudine, & diligentia, qui grauabantur ære alieno, venditoribus satisfaciebant, ne cogenter postea duplum refundere. Vidimus hoc etiam annis præteritis argentæ monetæ mutatione vulgata, creditores enim per potestatem publicam compellebantur solutionem acceptare iuxta valorem publicum. Quod quidem merito fieri potuit, quia solutiones debent acceptari cum sunt monetæ currenti, quæcumque illa sit, vt vidimus n. 29. Est autem moneta currēs, & vsualis, dum auctoritate publicâ non mutatur. Et licet ob difamationem minoris videatur valoris, eo nõ obstante possunt creditores compelli, vt admittat, quia & ipsi suos etiam possunt compellere creditores; esset enim magnum inconueniens, si solutiones non admitterentur, quia contractatio cessaret, & rerum necessariorum copia non daretur; quandoquidem non essent, qui venderent, aut certè multo maiori pretio id facerent. Cum ergo in contractibus rerum istarum retineatur monetæ valor, & qui vendunt eam accipere compellantur; debet item valor idem in ordine ad solutiones retineri; non enim aliud æquitas patitur, & monetæ valor debet esse idem pro omnibus, quando non est auctoritate publicâ variatus. Quod si creditor aliquis sit, qui compulsus accipere, nequeat iuxta valorem eundem expendere, quia debitor ipse non est, vt compellere creditorem possit, nec censum habeat, quem redimat, & ita necessarium patitur detrimentum, id certè per accidens est, & ad rationem boni publici parum conducens: nam quandoquidem aliquis est detrimentum passurus, aut debitor scilicet, aut creditor; nihil

Reipublicæ interesse videtur, quod vnus potius, quam alius, illud patiat. Et generaliter loquendo, debitoribus est potius, quam creditoribus fauendum, propter rationem adductam. num. 135. illi enim inter maiores versantur angustias; vnde illa contra Creditores Dei exprobrantis vox Isaia. 58. v. 3. Et omnes debitores vestros repetitis. Circa id autem quod ob stare poterat ratione priorum operum, diximus, num. 33.

Limitatio Assertionis notanda pro executoribus testamentorum.

138 Limitatio autem in Assertionem addita, Nisi nomine alterius agat; quia contingit, vt testator iubeat determinatam aliquam pecuniæ quantitatem in opus pium conferri, quæ sit apud exectorem deposita, & circa quam nulla esse variatio valoris queat. Tunc autem non deerit executor (& talem aliquem nouimus) qui velit infamata pecunia soluere, quod legatario soluendum. Sed est illud omnino à iustitiâ, & fidelitate alienum, quia contra manifestam testatoris voluntatem, & ius legatarij in eadem voluntate fundatum. Est item contra leges depositi; vnde si testator debitum repeteret, nullo modo esset tali solutione contentus. Si ergo testator non fieret satis, ergo neque legatario, in quem ille omne ius suum transtulit. Et simile erit, si quis quod à testatore in optimâ monetâ accepit, velit Barras tribuendo exequi, quarum pretium forensis inferius est, vt necessariò legatarius in illis sit partem non modicam perditurus.

Assertio 4. Circa mutuum cum loco, & aliam illis esse rationem.

139 Dico quarto: quod dictum est de solutione in superiori Assertionem, intelligendum etiam in mutuarius; quando mutuum non est omnino gratuitum; sed cum præmio ob lucrum cessans, aut damnum emergens. Ratio est, quia contractus tales ordinariè non fiunt in gratiam mutuarius, sed respectus ad lucrum habetur, & ita non currit in illis fundamentum Assertionis primæ, quod scilicet mutuum sit beneficium, ex quo nullus grauari debet. Quod si contingat in foro exteriori compelli. Sic gratuitò mutuantem admittere solutionem, id in foro animæ nihil proderit, vnde mutuarius ad plenam reparationem manebit in Dei oculis obligatus. Sed communia hæc alijs extra Indias sunt. Ad alia iam specialia veniamus.

CAPVT XII.

Contractus alij Indici percurruntur, præsertim Ecclesiasticorum.

Circa præcipuos, quatenus speciales sunt aut speciale aliquid in illis admiscetur, dictum à nobis, quod est visum opportunum: vnde circa alios breuioribus est clausulis decurrendum; sicut in nonnullis diutius insistendum.

§. I.

De contractu circa Coam.

140 DICTUM de illâ Titulo 1. num. 138. & seqq. Hic quæro an Religiosi habere possint prædia, in quibus arbores istæ coluntur, & emolumentis earum frui; cum enim genus istud foliorum ea habeat inconuenientia, de quibus

Religiosi an habere Coam queant, id est arbores colere.

Possit, sed non decere nisi aliquando.

1. Cor. 9. v. 12.

bus loco citato diximus, Religiosos, qui omnium spirituali bono, ac præsertim Indorum conuersioni, & in fide promotioni debent attendere; videtur dedecere. Quod quidem ego sic arbitror, dedecere quidem ob rationes dictas, sed nihilominus non peccare grauius, si ex donatione alicuius habuerint, neque eam commodè possint alienare: dummodò prædia in pago non insalubri sint, in quo scilicet Indi cultores de vita periclitentur, quorum aliqui inueniuntur. Ratio est, quia ea, quæ minus decent, ob rationes aliquas specialis conuenientiæ solent licita reddi. Sic D. Paulus indecens sibi iudicauit habere, qui alimenta ministraret circa euangelij prædicationem occupato, vnde ait 1. Cor. 9. v. 12. Sed non vsi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi. Et tamen alios Apostolos non ita fecisse ibidem præmiserat, dicens v. 5. Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi: sicut & ceteri Apostoli, & fratres domini, & Caphas? Quod ergo minus decent videbatur, Apostoli alij faciebant, quia ad id cogebat necessitas, & indecentia illa magnitudine virtutum, & excellentia miraculorum supplebatur, vt nullum Euangelio obstaculum videretur. Existima autem indecentiam fore non tolerandam, si Coca in proprijs Religiosorum domibus minutius esset venalis; nam & abusus illius, non sine graui nota in Religiosos cepit propagari.

§. II.

De aliquibus Religiosorum contractibus, qui negotiationem videntur præferre.

Aliqua emi in Indijs ab eis posse carius in Hispania vendenda, necessitatis titulo.

141 SIt hoc ad nuper dicta consequens, de quo P. Molina Disputat. 342. §. Tertio obseruandum. Vbi ait Religiosos in India, & Brasilia, nonnullos regionum illarum fructus emere viliori pretio, vendendos maiori in Europa, vt inde quæ illis necessaria sunt empta transmittantur. Quod ipse Pater probat, quia ad illud necessitas cogit; dummodò intra necessitatis limites se contineant, & non cedat in lucrum, quod est necessitati tantummodò indultum. Et hanc eius doctrinam alij postea sunt amplexi; pro quâ & auctoritas sic facientem esse potest assatum sufficiens; cum viri docti, & probi sint, qui melius, quam alij, circumstantias rerum noscere poterunt. Pro quibus est caput. Multa sunt, ne Clerici, vel Monachi. in quo sic ex Concilio Moguntino: nec tamen istum negotium est interdendum propter necessitates diuersas, quia legimus sanctos Apostolos negotiatos fuisse, &c. Pro quo etiam: extra de dicimis Cap. dilecti.

Religiosos non posse agros conducere vt fructus vendant.

142 Illud non ita excusabile, vendere agrorum fructus quos Religiosus conduxit: quod quidem prohibitum in Cap. Multa sunt citato, verbis illis: conductores secularium rerum, aut Procuratores. Vt ibi Doctores intelligunt, & expressus in Cap. Peruenit. 21. Quest. 3. ex Concilio 1. Carthaginensi, in quo Nicolaus Papa Episcopis Castellanis sic dixisse legitur. Verba citati Capituli sunt: Decretum igitur sancta Synodus, neminem deinceps eorum, hoc est, non Episcopum, siue Clericum,

aut Monachum conducere possessiones &c. Idem habetur in Cap. Platani. Vbi tamen de Monachis non est sermo. Constat autem ex Cap. Sed nec: ne Clerici, vel Monachi. Ea quæ quæ ad negotiationem spectent, strictius Religiosis inhiberi, verbis illis: Districte autem eum decernimus puniendum, si Religiosorum quisquam aliquid prædictorum ausus fuerit attentare. Sic ibi ex Alexandro Tertio in Concilio Turonensi. Cum etiam in priori Capite expressa Monachorum habeatur mentio; nil refert in alio Capite illam non extare, vt est manifestum; & hoc debent Parochi Regulares attendere quia & prohibitio comperata est, & Doctores in ea agnoscenda, & asserenda conueniunt.

Negotiatio illis strictius prohibita.

143 Addunt tamen id contingere quando aliena prædia conducuntur, vt vendantur fructus. Pro quo videri possunt P. Molina Disputat. 342. vers. Idem dicerem. Cardinalis Lugo Disputat. 26. numer. 29. P. Lessius Libr. 2. Cap. 15. num. 6. P. Gaspar Hurtadus Disputat. 2. de Contractibus, difficultate 17. vers. Addimus. Bonacina de Restitutione Disputat. 2. Quest. 9. Puncto 2. num. 4. P. Dicastillus Libr. 2. Tract. 9. Disputat. 1. num. 238. & alij, qui communiter addunt ex huiusmodi contractu debere alcualam, vel quocumque alio nomine vocetur id, quod ex venditione debetur. Si ergo prædia non conducantur, vt vendantur fructus, & quæstus ex illis fiat, sed ex alijs finibus, non currit prohibitio. Ex. g. si conducantur, vt propria animalia ibi pascantur, quia non est locus commodus Religiosis vbi id facere possint. Quod ampliandum, etiam si pascantur vt bene enutrita vendi melius possint. Vbi & ampliatio alia fieri secundum alios potest, videlicet etiam si animalia emanant, & ibi diutius alantur, & curentur, vt sic per industriam meliora reddita vendi cum lucro possint. Non enim immutata vendantur, quod communiter Doctores requirunt ad propriam negotiationem; de quo dictum n. 33. & melioratio videtur esse fructus industriæ, quamquam hoc vltimum difficultate non careat. Videatur Cardinalis Lugo num. 29. & 34. & decretum 84. Congregationis septimæ nostræ Societatis.

Limitatio ex fore vobis ditionis fructus.

Notanda exempla.

144 Item si conducantur, eo quod ad culturam propriorum prædiorum notabiliter conferant, vel ob pascua, vel ob aquas irrigationi necessarias, vel propter vitanda damna ex vicinis prædijs occurrentia, quæ sunt semper frequentissima: ob rixas rusticorum, & vicinorum æmulationes, invidias, suffurationes, simultates. Sic Abraham & Loth, licet cognati, & iusti. Non poterant habitare communiter. Genes. 13. v. 6. Vnde & sacra scriptura inter pastores gregum, Abram, & Lot. v. 7. in his ergo & similibus casibus, licet ex conductis prædijs vendantur fructus, non contrauenitur iuris canonici dispositionibus, iuxta quas solum negotiatio ob directum finem quæstus faciendi prohibetur, quæ generaliter Textus damnat, vt videri potest tota Disputat. 88. & toto Titulo. Ne Clerici, vel Monachi: non autem eum, qui intra rationis contineatur limites, & nihil inordinatum: aut scandalo occasionem præbens, constar præferre. Videatur Cardin. Lugo in Responsis moral. Lib. 3. Dubio. 20. num. 3. Et quod dictum est de Religiosis, etiam de Clericis est intelligendum, circa quos tamen aliquid specialius adiciendum.

Et ampliatio consideratione digna.

Genes. 13. v. 6. & 7.



S. III.

De Contractibus Clericorum, & Speciali pro Indijs prohibitionem.

Fructuum decimalium conductio Clericis prohibita.

145 Circa prohibitionem in genere videndus Dom. Solorzans Tomo 2. Lib. 1. cap. 16. num. 60. & 61. & in Politica Pag. 170. In particulari loquendo conducere alienos agros Clerici prohibentur, vt vidimus: ex quo nonnulli videntur colligere non esse sibi prohibitam fructuum decimalium conductionem, vnde videmus aliquos contractatione ista, non solum illam licitam videtur omnino compertum. Tum ex Concilio Limensi 3. Actione 3. id specialiter prohibente Cap. 21. Tum etiam iuxta id quod Doctores communiter circa prohibitionem negotiationis affirmant. Emunt siquidem fructus vt immutatos vendant: neque id titulo aliquo pietatis, aut necessitatis honestant: & supra conductionem agrorum aliquid est in eo amplius, vnde illa magis prohibita debeat iudicari. Siquidem quando condeuntur agri non ibi emptio aliqua interuenit, quia neque agri ipsi neque fructus emuntur: in conductione autem decimarum emuntur fructus, qui postea immutati venduntur. Si autem mutatio accidat, erit forsitan conductione toleranda, vt si Clericus habeat molendinum, & fructus decimales emat, siue quoscumque alios, vt in farinam reductos cum lucro vendat; quod fieri posse probabile apparet. Et erunt etiam qui affirmant licere illud, etiam si Clericus proprium non habeat molendinum, ob mutationem in eo factam. Quod tamen non videtur admittendum, quia mutatio illa non est effectus industria ipsius Clerici, neque ex aliquo prouenit, quod eius sit, eandemque indecentiam habere videtur, ac si penitus immutati tales fructus venderentur. Pro quo videri possunt P. Molina Dissutat. 324. citat. & Cardinalis Lugo num. 34. ob multa, quae adducunt similia, & minime licere testantur. In specie autem casus praesentis loquitur P. Molina vers. Idem dicendum, de Clerico inquam, qui alieni beneficii fructus condeunt. Et idem erit si quando decimae conductoribus traduntur, Clericus conductorem supponat, qui suo nomine conducatur, cum tamen re ipsa Clericus ipse totum sit negotium per se principaliter peracturus. Verba enim legis amplectitur, sed contra legis voluntatem faciens, vnde manifestum est in lege peccare, vt est regula iuris notissima.

Limitatio specialis.

Reiecta alia.

Episcopus circa id dispensare posse, & quando sic facere censentur.

146 Et licet Episcopi possint Clericis administrationem aliquam committere rerum dictarum, vt habetur in Cap. Peruenit 21. quae 3. non ideo possunt conductionibus istis annuere, cum prohibitio a suprema potestate descendit, nisi forte indecentia cessante dispensent, vt videntur posse facere, quandoquidem id non inuenitur in speciali prohibitum; iuxta multorum doctrinam. Pro quo videndus P. Thomas Sancius Lib. 1. de Matrimonio Disput. 6. numer. 3. vbi quamplures adducit. Sed an ex Prouinciali Concilio id prohibenti oriatur specialis impossibilitas, dicendum inferius. Videntur autem multoties dispensare

Episcopi, quia vident, nec prohibent, aut puniunt sic facientes: taciturnitas enim eius, qui prohibere potest, cum facile prohibere possit, est tacita dispensatio, vt innumeri docent Auctores apud Ioannem Sancium in selectis disp. 44. n. 3. Pro quo & videndus P. Palaus Tom. 1. tractat. 3. disp. 6. Puncto 12. num. 3. vbi & alios adducit. Videntur autem ea ad dispensationem dictam ratione moueri: quia sic res Ecclesiae melius transiguntur, dum conductores securiores habentur, qui & Praelatos verentur offendere, & quae congregant, in vsu tandem pios creduntur expendari; quod non ita in saecularibus euenit, vt experientia est manifestum.

Dispensatio facta quae do continetur.

De Mercatoribus quibus sacros recipientes Ordines, & remanent Mercatores.

147 Contingit etiam in Indijs Mercatores aliquos etiam bigamos dispensatione, vt possunt obtenta, fieri Clericos, sed communi ferè omnium iudicio Mercatores remanere, licet eorum nomine non videantur mercimonia procedere, sed aliorum, quibuscumque societatem ineunt, vel administratores sunt: & vtrumque hoc, scilicet societatem inire posse, vel per alios negotiari, Doctores plures affirmant, qui videri possunt apud Dianam Parte 1. tract. 8. resol. 71. & 72. & alijs locis citatis n. 33. & Bonacinam disp. 3. de contract. q. 1. Puncto 5. n. 19. Addunt tamen ita sentientes, limitationes aliquas, quas isti non videntur obseruare. Quod scilicet pecunia ita tradatur socio, si contractus societatis iniretur, vt tota cura illi relinquatur, & solius pecuniae, ac lucrorum communicatio sit. Ita Card. Lugo n. 36. cum P. Molina disp. 342. vers. Vtrum autem, & P. Lessius lib. 2. cap. 1. n. 6. Syluius 2. 2. q. 77. art. 4. Renatus à Valle apud Dianam Parte 9. tract. 7. resol. 69. quod & ipse amplectitur addens cum Card. Lugo, peccatum veniale futurum, si aliquantulum curae, & superintendendae in eo interueniat, quod & prius tradiderat P. Rebellus Parte 2. lib. 9. quae 18. num. 8.

Contractus Societatis vt inire clerici queant.

Qualiter per administratos negotiari.

Praeterea dicunt, si per administratos id faciant, non debere ita negotiationi intendere, vt quasi causa principales sint, quod bene à Renato, & Syluiio explicatum amplectitur Diana supra in fine. Quae influxum ita explicare possumus, vt administrati in emptionibus, & venditionibus, cambijs, permutationibus, &c. quoad substantiam & modum omnino à Clericorum voluntate dependeant, scribendo, & rescribendo frequenter, quod facere etiam laici solent, dum administratos adhibent negotiationibus, quas per se ipsos nequeunt exercere. Sic enim habet Regula Iuris in Sexto 72. Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum. Addunt item, ad negotiationem talem debere iustam aliquam subesse causam: sic P. Lessius dudum citatus in fine. vers. vlt. requirit. Tales autem limitationes non seruari ab aliquibus, ex eo ostenditur; quia Mercatores vt antea reputantur, & de iusta causa non constat, neque vlla specialis apparet. Sibi ergo consulant, rationem dati, & accepti Deo ob sacerdotalem dignitatem, quam gerunt, exactissime reddidit.

Iustam pro eo causam requirit.

148 Dubitari autem potest an iusta causa sit si in negotiatione persistant, vt plura acquirant in operibus pietatis expendenda. Ad quod dicendum: si negotiatio non penitus per alios exerceatur, sed ipsi habeant principalem influxum, ita vt Mercatores reputentur, minime ob finem dictum negotiationem honestari, quia per illam eandem distractiones incurunt, quas ob fines alios, si negotiarentur incurrerent, & illae sunt

An sit et alia, si ex fine priorum operum fiat.

S. IV.

Circa Parochos Indorum quid speciale ex Concilio Limensi.

sunt, quas sacri Cahones student iteratis cautionibus remouere. Vide 21. Cassam per totam questionem tertiam. Deinde sola necessitatis ratio in excusationem admittitur, vt vidimus ex Cap. Multa sunt, ne clerici, vel Monachi. Scandalum praeterea perseuerat, paucis enim causis illa pietatis innorescant; & qui eas norunt, non recte de huiusmodi sollicitudinibus sentiunt, vt experientia constat. Si autem negotiatio per alios modo decenti fiat, satis iusta causa videtur praedicta, quia ob pietatem in multis videtur dispensari, vt propter orphanorum, & viduarum defensionem; aut earum personarum quae maxime Ecclesiastico indigent adminiculo, propter timorem Dei, vt habetur in Cap. Peruenit 21. quae 3. vbi de negotiatione est sermo.

Cap. Peruenit, 21. quae 3.

Concilij prohibitio vt intelligenda.

Pecuniis Concilij Limensis.

In Minoribus constitutos non ligari.

Circa Beneficiatos vtrumque probabile.

Religiosos minime comprehensos.

149 Ex quo habemus; quod si in Concilio aliquo contra Clericos negotiationi vacantes excommunicatio ipso facto incurrenda proferatur, illos non liget, quae ea seclusa grauius in eo genere non deliquerint, iuxta datas explanationes, quia videlicet non per se, sed per alios, & per alios ita, vt cura eisdem relinquatur, & conductione bonis respectibus honestata, & talis est excommunicatio Concilij Limensis Tertij. Actione 3. cap. 4. In quo sic post alia: Cui tanto malo, quod & indijs latius serpere, & Indorum saluti vehementer nocere animaduertit, cupiens pro data sibi à Domino potestate, efficacius occurrere, stricte praecipit, ne qua persona Ecclesiastica, cuiuscumque gradus, dignitatis sit, negotiationem sacris Canonibus toties prohibitam, quacumque arte, colorum exerceat, si quis autem Clericus mercaturae operam dederit, praeter poenitentiam à iure, atque Concilio superiore impositas, quas inuoluamus, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat. Sic Concilium à Sixto V. approbatum; quod cum de quacumque persona Ecclesiastica loquatur, solum sacris Ordinibus ornatos comprehendit, iuxta commune Doctorum sententiam, pro qua videri omnes citati possunt. De Beneficiatis autem, in sacris non constitutis, magis dubia causa est, & sunt qui negent obligari, communior autem, & praxi recepta sententia affirmat, pro qua videri Auctores possunt, quos adducit Bonacina disp. 3. de contract. quae 1. Puncto 5. n. 19. Diana tract. 8. citat. Resol. 73. Card. Lugo disp. 26. num. 36. & alij. Sed cum probabilis prior sententia sit, illa poterit, qui voluerit, se tueri.

151 Vrgentior est eiusdem Concilij decisio Cap. 5. contra Indorum Parochos negotiantes, sic enim habet post grauitatem criminis ponderatam. Idcirco Sancta Synodus sub eiusdem poenitentiae decreto proposuit, verat, ne quis Indorum Parochus per se, vel aliam interpositam personam quacumque, cum quibusvis Indijs mercaturam exercere praesumat. Insuper neque pecora quacumque alere praeter necessaria ad victum, aut agros colere, aut vehendis mercibus animalia tenere, vel locare: neque Indos ipsos ad mineralia sibi curanda mittere, vel eorum operam locare; denique neque cum ipsis Indijs negotiari, neque cum alijs per ipsos; qui ipsorum quolibet egerit, etiam excommunicatione lata sententia se nouerit inmoderatam. Sic ibi; vbi quod ad interpositam personam attinet, iuxta dicta num. 148. est explicandum, quando scilicet fit per illam, sed cum causa principalis influxu, nam & causa etiam partialis principalis esse potest, vt ex Philosophia notum. Dummodò contractus alias ex se illicitus non sit, de quo dictum, cum de Indorum Praetoribus ageremus. Titulo 6. cap. 1. Quod de alendis pecoribus dicitur, ad greges pertinet, quos Castellae dicimus Ganado de Castilla. oves, boues, & capreas; ista enim ad victum pertinent: non ergo videtur prohibitum, equos alere, & propagationem eorum, sicut aliorum animalium, accurate. Praeterrisum sane illud, quia in Peruuio nullum est inconueniens ex cura huiusmodi deprehensum; si tamen equae, & afinae aut e contra pariter alerentur ad molorum, & mularum generationem, maior esse difficultas posset, quia inde animalia proueniunt prouehendis mercibus apta, quorum retentionem paullo inferius Concilium verat. Si ergo non ad eum effectum, sed ad vendendum simpliciter teneantur, non videtur prohibitio circa illorum generationem vrgere.

Circa Parochos magis specialis.

Quid cum per interpositam personam res agitur.

De alendis pecoribus.

De cultura agrorum.

De animalibus pro mercibus vehendis.

152 Agros colere, si condeuntur, iam vidimus non licere: & ita frequenter accidit in Parochijs Indorum, qui proprios agros non possident. Si autem condeuntur non sunt, & tantum pro necessarijs ad victum coluntur, idem quod de pecoribus indulgetur. Vnde etiam si agri condeuntur, idem per Concilium licebit. Vbi non delicata commensuratione procedendum est, vt nihil amplius, quam quod necessarium est, colligatur: cum enim id nequeat omnino exacte cognosci, neque annorum sit semper vna eademque fertilitas, ad copiam debet conatus dirigi, & licet aliquid vendendum restet, id non est contrarium decisioni Concilij iudicandum; applicando Doctrinam, quam habet circa emptionem, & venditionem Cardinalis Lugo Disput. 26. num. 32. & est etiam aliorum, quod & in pecoribus pariter afferendum. Id autem, quod de animalibus pro mercibus vehendis additur, duo genera eorum complectitur. Primum arietum peruianorum, quos vocant Ganado de la tierra, qui cum ad genus Camelorum accedant, vehendis mercibus aptissimi